

/ Cels.V. me meumque Monasterium impensius commendo.

In Monasterio SS.Martini et Oswaldi,vulgo Weingarten,20 Aprilis, 199
anno 1618.

Archiv.Postul. Bellarm. 6. copie. / Arch.Vat.Gesuit.19 fol.8 brouil
=====

5

Beatissime Pater

Georgius Abbas Monasterii Sancti Martini ad vineas, servus et orator S/bis V/ae, ut fructuosius in vinea Domini cum suis monachis, quorum multi theologiae operam dederunt,se exercere possit, supplicat humillime, ut sequentes gratias illi ex Apostolica benignitate
10 concedere dignetur.

Primo. Ut Abbas possit deputare confessarios,viros idoneos, qui undecunque advenientes audire possint, non solum in Ecclesia, sed etiam dum iter faciunt,et occurrunt poenitentes,qui eis confiteri velint.

15 Secundo. Ut tales deputati possint absolvere ab omnibus casibus, et censuris occultis et in foro conscientiae tantum,etiam reservatis Episcopis,vel Sedi Apostolicae,etiam in Bulla Coenae Domini.

3°.Ut possint absolvere ab haeresi,non deducta ad forum externum, in foro conscientiae tantum.

20 4°. Ut possint libros prohibitos, non tamen ex professo de Religione tractantes, corrigere juxta regulas indicis, et sic correctos permittere poenitentibus,qui eos habuerint.

5°.Ut possit Abbas maturo consilio concedere licentiam uni aut duobus ex suis theologis,legendi libros haereticos ad eos confutandos pro concione,vel in scriptis; et proinde possint in Monasterio teneri tales libri sub fida sera in loco tuto inclusi.

6°.Ut possint deputati confessarii vota simplicia,et juramento firmata commutare,vel in iis dispensare, exceptis quinque Summo Pontifici reservatis. Item dispensare cum conjugatis in petitione
30 debiti conjugalis, quando ob crimen impediuntur.

7. Ut possint absolvere ab excommunicatione ob percussione clericum etiam gravem,et notoriam, sed non deductam ad forum externum.